



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

§. 3. Regulæ practicæ inquirendi in statum Pœnitentis, si non innotuit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

§. 3. *Regulæ practicæ inquirendi in statum
Pœnitentis, si non innotuit.*

UT Confessarius in hujus tam generalis, quam peculiaris obligationis admodum necessaria indagine promptior reddatur, primò, quæ circa generalem inquirenda, præmittimus.

Oportet in primis in memoriam redigere creationis nostræ, & redemptionis finem, qui est vivere non suis cupiditatibus, sed Deo.

Præterea non excidant potissimæ vitæ Christianæ regulæ, quarum facilè principes: *Diliges Dominum Deum tuum &c.* Matth. 22, *Querite primum regnum Dei, & justitiam ejus. Nemo potest duobus dominis servire: non potestis Deo servire, & Mammonæ.* Matth. 6. *Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo.* 1 Joann. 2.

Quàm multi proh dolor! ad lethalem usque culpam ab his deflectunt: alii enim finis ultimi loco non Deum, sed honores habent; alii nummos, & opes; alii vanitates, commoditates, & res terrenas, quas cordi magis habent, amant, complectuntur, quàm Deum, Creatorem, Redemptorem. Hi proinde à labe mortali haud immunes sunt, dum in illis, in quibus potiores partes habere, & dominari debuerat Dei amor, seculi cupiditas primum sibi vindicat locum. Qua in re mortalem etiam noxam contrahere contingit illos, qui potissimam vitæ partem insumunt potitando, lusui & venationi indulgendo, pro-
cando, & aliis id genus ad sensus oblectandos,
aut

aut otium (quod ajunt) fallendum, quo se mundum ita diligere perhibeant, ut caritas Patris non sit in eis.

Eodem morbo laborant, quæ totæ sunt in vanitatibus, & nihil aliud, quàm cultui, & ornamento student, non alio fine, quàm ut hominibus complacent.

Hæc de generalibus: jam ad examen (ubi opus fuerit) de officio, aut conditione peculiari transeundum. In hoc, quid vitiorum in isto officio, in hac arte, aut quovis peculiari vivendi genere potissimum committi soleat, inquirendum.

Multos invenias sartores, cerdones, & alios id genus opifices, qui Festis, Dominicisque diebus ab opere suo servili, justâ absente causâ, se non abstinere consueverunt.

Multos quoque comperies, qui in causis forensibus quoquo modo versantes, iniquis perinde ac æquis patrocinantur causis.

Alios, qui in Magistratu sedent, consulare &c. munus obeunt, ad quod juramento cum restitutione mentali præstito, aut alio iniquitatis pallio evecti fuere.

Divites sæpenumerò in statu peccati mortalis esse arguuntur, quia eleëmofynas (quarum magnitudinem ex illorum opulentia judicabis) pauperibus elargiri negligunt, ita quidem, ut graviter in dilectionis proximi mandatum impingant.

Si nobiles, milites, atque in primis militarâ inter hos dignitate fulgentes, tribunal tuum

U 2

subeunt,

subeunt, de duellis examen instituito, an illa offerre, an oblata acceptare quâcumque datâ occasione statuant: an eos, qui ista offerre, aut subire parati sunt, non majores æstiment aliis, aut dignitatibus citiùs admoveant, aliis velut meticulosis posthabitis.

Præterea à Patribus-familias, & matribus inquirendum, quo pacto prolem suam educent, quibus moribus imbuant, quam curam gerant famulorum, ancillarumque, *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet*, inquit Apost. 1 Tim. 5. *Fidem negavit, & est infideli deterior.*

Juvenes, & filias de conversatione cum personis alterius sexûs, de verbis, factisque libidinosis examinatos oportet, sed cautè, & castè. Quandoque etiam de arcta familiaritate, quæ inter personas ejusdem sexûs intercedit cum verborum, vel factorum impudicitia, (quod in sexu femineo non adèdè rarum esse dicitur) super desideriis venereis, delectationibus obscænis, & interna voluntate, examen instituendum: multis enim crebrò animus est ista committere, si liceret sine infamia, aut saltem sinè pœna inferni.

Neque solùm huic examini subjiciuntur, quæ juvenes, aut filia in se patrant, vel simul cum alio; verùm & illa, quorum aliis authores sunt, & ansam præbent; quo in genere non postremæ sunt illæ filia, quæ (licèt castas se haberi velint) juvenum libidini deditorum non fugiunt con-
for-

sortia, petulanter ornata, quo fit, ut illi libidinem suam tum verbis, tum desideriis, eam nacti occasionem foveant, cupidineque suâ oblectentur; imò quædam ex hoc gloriam aucupantur, & mirè superbiunt, quòd venustate suâ, & ornamentis lenociniis juvenes irretire queant, & ad libidinem, à qua se procul abesse autumant, illorum animos succendere.

Satis superque etiam notum est, quàm crebrò erretur in beneficiorum officiorumque tam Ecclesiasticorum, quàm sæcularium distributione, dum alii prorsus indignis, alii minùs dignis ea conferunt cum magno Reipublicæ quâ sacræ, quâ profanæ dispendio: quidni igitur Pœnitentes quidam de hoc exceptionis personarum vitio examinentur?

Quamquam hæc in primis necessaria sint, insoliti tamen ingruere possunt eventus, quibus istud examen tanto jungatur periculo animæ Pœnitentis, ut periculum, quod prævidetur, gravius sit altero, quod ex omissione examinis nascitur: quapropter hoc eventu examen omitendum erit.

Quod de insolitis dixi, faciliùs iis videtur futurus locus, quando Pœnitens versatur in extremo vitæ periculo. E. Gr. eveniet, ut quis in vitæ discrimine versans obnoxius sit cuidam obligationi, & hujus suæ obligationis, utpote ipsi moribundo occultæ, creditur non meminisse, & tamen ita se res habere potest, ut si Confessarius peculiare de ea, vel simili obligatione

U ;

mo-

moribundi examen instituat, prospiciat illum in tentationem ad mortale, cui succumberet in æternam suam perniciem, hoc examine conjiciendum; non est ambigendum, quin inquisitio illa singularis prudenter sit omittenda, magisque è re pœnitentis erit, illum exhortari, ut peccata sua, quia contra Deum sunt, generatim, vel nonnihil peculiarius, si ita visum fuerit, illius speciei peccata, quia Deum offendunt, detestetur, nihil interim injiciendo sermonis de singulari illa & latente obligatione. Eo scilicet posito, quòd absque moribundi damnatione fieri nequeat, & ex aduerso, ut supponitur, æstimeretur, quòd obligatio ista sinè peccato saltem mortali ignoretur à moribundo.

Verùm quia multi Confessarii hodiè quamcumque ferè ansam arripiunt, quâ ad se trahant obligationem non inquirendi in has, vel istas obligationes Pœnitentis, eos præmonitos velim, ut sedulò apud se expendant, an fortè examen istud omittendo, ubi non oportet, hâc unâ omissione non erunt moribundo isti causa æternæ damnationis.

Maximâ hîc opus est prudentiâ, ac circumspectione, ne ad dexteram devietur, aut ad sinistram: si proinde usquam, hîc quàm maxime necessarium est, ut unctio Divina Confessarios doceat.

Dictorum epilogus est: Confessarii, utpote judicis, munus postulat, ut in statum Pœnitentis, nisi jam notus fuerit, pro dubii ratione in-

qui-

quirat, tamque generalia, quàm specialia discutiatur, quibus & sedulò, & prudenter peractis, si dubitatio nondum eximitur, nondum est, quòd Absolutionem impendere præsumat.

Essent fortassis, qui horum occasione importunas, ridiculas, exoticasve instituerent interrogationes: illos etiam, atque etiam monitos volo, ne ad alterum deflectant extremum, & scyllam vitare cupientes, in charybdim incidant.

CAPUT IV.

Interrogatorium circa decem præcepta Decalogi.

Confessarius, cui Pœnitens ignotus est, tria interroget: *Primò*, tempus ultimæ confessionis, & an impleverit pœnitentiam? *Secundò*, statum Pœnitentis, an conjugatus, vel solutus, miles, mercator, officialis, clericus in sacris, beneficiatus, religiosus &c. *Tertiò*, an paratus veniat? Deinde interroget, si judicaverit necessarium, circa decem præcepta hoc modo:

§. I. *Circa primum Præceptum quinque.*

1. *Circa Fidem.* An consenserit in hæresim, dubitaverit de providentia Dei, animæ immortalitate, futura vita, an sciat necessaria pro rudibus?
2. *Circa spem.* An desperaverit, tentaverit Deum, spem totam in creaturis posuerit?
3. *Circa Caritatem.* An odio Deum habuerit ob legem datam, vel pœnam inferni ob peccatum